

BITVRIGVM REGIO, SEV DVCATVS.

Biturigium plerique veterum scriptorum mentionem faciunt, inter quos Strabo, Cæsar & reliqui. Verum eius dicitur originē & nominis etymon ab Ogyge qui Noa erat natus tradit, cuius nepos Gomer Gallus huc deducta colonia eam ab auo Ogygimi dixerit, ipsi verò deinceps Armenorum lingua Bitogyges. i. Ogyges posteros sese nominasse, deinceps verò voce corrupta, vt plerunque fit, vel à Duce aliquo mutata, cui Bituriæ nomen erat pro Bytegijs, Biturigos appellati sunt. Sunt qui putent eos à duabus turribus sic dictos, quasi Bisturris. Siquidem olim duas habuerit turres, à duobus fratribus qui in ea regnabant, si Veteribus qui de ea scripsere credimus, edificatas, quarum vna adhuc extat rotunda, tanto que artificio extructa, vt arx sit vix vllis machinis expugnabilis. Hunc tractum variæ olim habitauerunt gentes Aquitanicæ. Aquitanicæ siquidem pars est Biturigum regio, à Strabone & Ptolomæo enumerantur Lemorices, qui secundum situm, quem ipsis Ptolomæus tribuit, videntur iuxta Selles & Vierzonem habitasse, quanquam verisimilius tradant nonnulli Lemaniæ eos populos fuisse. ponit & Cadurcos, quos maluit alij esse Garumnæ accolæ, qui Querbij hodie dicuntur. Nitiobriges præterea eodem tractu inter Ligerim & Cauentallum locat, quos Neoterici autumant potius Rhodano propinquos fuisse, iuxta Pessulanum montem. Petrocorios quoque Ligeris accolæ facit, qui tamen Garumnæ viciniore videntur, ac à Neotericis Geographis æstimantur esse Perigortenses populi. Verum Strabo de his tradit in hunc modum: Inter Garumnæ inquit, & Ligurim adiacent gentes quædam Aquitanis, Elui ab Rhodano inchoantes, post quos Vellai aliquando Aruernis cõmixti, nunc sibi ipsis adstricti, dehinc Aruerni & Lemothrices & Petrocorij, post hos autem Nitiobriges & Cadurci, & Bituriges, qui Cubi nuncupantur. Ad Oceanum verò spectantes Santoni sunt & Pictones: hi quidem (vt diximus) Garumnæ accolæ, alij autem Ligeris. Rhuteni autem & Gabales Narbonensi terræ proximi. In Petrocorijs igitur & Cubis Biturigibus Ferrariæ in oppidis sunt fabricæ, in Cadurcis verò linificidina, in Rhutenis autem argentariæ figent aulas, nec non & Gabatensibus &c. Hactenus Strabo: quare si ei accedamus, fatebimur vitiosam hoc loco Ptolomæi tabulam. At nostri temporis Geographorum scripta cum neutro eorum consentire videntur, quod ex iam dictis colligere licet. Bituriges moderni Geographi credunt esse Biturges oppidum, quod Auaricum Ptolomæus & reliqui vocant. Bituriges verò Robertus Cænalis & Strabo quoque duplices memorant. Occubos seu Toscos, quos Ptolom. Epuscos vocat, vbi oppidum Auaricum, alios autem Vbiscios maritimos, vbi Burdegalia, hodie *Bordeaux*, quam gentem Strabo ait solam inter Aquitanos alienigenam consistere, nequaquam illis confederatam. Bituris verò nostra quæ Auaricum à Cæsare appellatur, Galliarum Aquitanicæ vrbs omnium Biturigum metropolis est, tantæque amplitudinis, vt reliquas totius Galliarum vrbes paucis exceptis, facile sua superet magnitudine, sita est in solo palustri, fereque omnibus ex

partibus flumine & palude circumdata. Ager extra ciuitatem est valde frugifer, atque omnium ferè rerum quas Gallia habet fertilissimus, vbi nihil desiderari potest. Huius vrbs vetustatem testantur egregia quædam monumenta, quæ in ea videntur. Frequentiam verò commendat omnium rerum mercatura, & nundinationes, quæ ibi exercentur. Et si de eius celebritate aliquid audire velis. En habes ibi Academiam in omni disciplinarum genere ornatissimam ante multos annos, à Duce quodam, qui Biturigibus imperabat, erectam: sed hactenus à viris clarissimis tam sedulo excultam, vt iam iam literarum decus, atque doctissimorum virorum emporium merito dici possit. Siquidem illic Theologorum schola non mediocris est, in qua sacrarum literarum Professores habent, qui suis lectionibus, disputationibus, crebrisque concionibus, de religione Christiana, atque pietate bene merentur. Illic Philosophiæ studium viget. Illic Medicina habet suos peritissimos Professores, illis inter reliquas disciplinas Iurisprudentia maximè floret, tum Professorum quos excellentes hactenus habuit, tum Auditorum, qui vndique illic cõfluunt, frequentia. Hæc de Bourgo vrbe Munsterus refert. Sunt verò & aliæ vrbes famatæ in hoc Ducatu ad Serram flu. Romarantinū, Selles in Borrij S. Aignan, ad Aurronem flu. Vierzonium ad Cherram flu. *Chateau-neuf*, ad amnem Theonem *Chateau-meillant*, Liniers, Charroyx, Ruelly, Lury, Ysoldum, Indro flu. adiacent Lachastre, *Chateau-roux*, Buraocais, Paluau, Chastillon, & paulò inferius versus Austrum Mazieres. Ad Creusam deinde flu. sunt le Blangen, Berry, Argondon, Aegurande, Bossack, & complura alia nobilia oppida, quorum nomina hic recensere, nõ fert prolixitas. Regio vt plurimum plana est & fertilis, quemadmodum paulò ante de Bourgenfi agro dictum est, pecudum præcipuè verò ouium diues. Fluminibus partim rigatur, partim alluitur: Ligiri, Souldra, Aurrona, Cherre, Theone, Indro, Creusa, ac nonnullis alijs ignobilioribus riuulis. Montes hic nulli celebres. Syluis hinc inde conspergitur regio, quarum præcipua sunt Sylua Roberti inter Indram & Creusam amnes, lacennam verò syluam cum Auerris vicinam habet. Minærarum ac Thermarum hoc loco nullam ab authoribus mentionem factam reperire licuit. Incipit ab Occidente sub longitudine graduum 20. minut. 52. vbi le Plans oppidum, & in Orientem extenditur, vsque ad longitud. graduum 23. 52. vbi la Charite ciuitas. A Meridie initium sumit sub latitudine grad. 46. minut. 4. vbi Argenton vrbs, & in Septentrionem porrigitur ad latitudinem graduum 47. minut. 8. vbi S. Aignan ciuitas. Subiacet itaque sub medium septimi climatis, qui est parallelus transiens per fontes Istri 16. in numero, vbi dies artificialis prolixior est horarum 15 $\frac{3}{4}$. longa autem est ab Occasu in Ortum mill.

Germanicis 37 $\frac{1}{2}$. seu Italicis 130. lata verò
ab Austro in Septentrionem Ger-
manicis 16 $\frac{1}{4}$. seu Itali-
cis 64.

BURGUNDIAE COMITATUS.

XX

Burgundionis nomen, Robertus Cœnalis de re Gallica lib. 1. perioche decima, ex Michaële Ritio refert ortum à Burgis per eos extructis. Erant autem Burgi (inquit) Infulæ leui manu extructæ. Et subdit mox: Afferit Ritius fuisse eos fabros materiarios, nos Carpentarios dicere solemus, illius operæ expeditissimos artifices, & ab his nomen sumpserunt Burgundionum: quasi dicas casarum humilium habitatores seu tuguriorum, hoc est, Tuguriones vel Casarios, hagas seu sepes ad feras tantum arcendas à primæua institutione pro mœnibus habentes. Huic sententiæ suffragatur quoque Mathias à Michou libro de Sarmatia Asiatica primo, cap. 12. de Cechitis seu Polonis loquens. Sortiti sunt, inquit varias nominationes secundum varietatem locorum quæ inhabitantur. Et hi qui penes flu. Sueuum nunc in teutonico Spre seu Spreua dictum commorati sunt. Est tamen Germanis quoque frequēs, vrbes, arces, Burgum dicere, quam vocem à Græcis mutuati esse creduntur, nam *βύργος* turrim, arcem & propugnaculum significat. Et Romanos quoque castellum Burgum appellasse author est Vegetius. Varijs autem nominibus eius regionis incolæ olim vocabantur. Sequanos namque legimus dictos fuisse superioris Burgundiæ, quæ hodie Comitatus nomine censetur, habitatores. Inferioris verò quæ Ducatus titulo gaudet, indigenæ Hedui appellabantur: quarum prouinciarum populos recenset Naucerus, Vezentios, Lingones, Cabilonos, & Maticonenses. Burgiones verò pars sunt gentis Vandalicæ, quæ in Capellatio Germanorum agro, cum primum ingrueret, aliquandiu hæsit: deinde verò assumptis Nuythonibus (vt Beatus Rhenanus refert) in maximam Sequanorum transcendit, Heduum etiam finibus occupatis & Auenticensi tractu. Est autem omnis ea regio Galliarum Narbonensis, atque adeo Lugdunensis portio, vt testatur Cœnalis, qui alibi: Si solum (inquit) spectes Burgundicum, ad Galliam pertinet, partim Celticam, partim Belgicam: atque vt mox dictum est, Narbonensem. Sic fit vt partim Braccata æstimata sit, & partim Comata, quæ est Belgica. In Belgica enim ponuntur Ptolomæo Sequani, quæ Burgundia est, Imperialis seu Comitatus, vulgò, *la Franche Conte*. Verum priusquam in Burgundici soli diuisionem descendamus, illud quoque ex eodem autore monendum duximus. Regionem illam quæ primæua vstripatione Burgundia dicebatur, ampliorem fuisse, ac latius expatiatam. vtpote quæ non vnum, sed complura regna complexa est, quam quæ nostro æuo Burgundia appellatur, quæ manca est & diminuta, longèq; contractior, & multis suis partibus trunca. Comprehendebat enim primæua sua amplitudine septem prouincias seu dioceses. Prima fuit Auenianensis in Aremoricis ciuitas olim Archiepiscopalis, Cathedrales septem complectens. Videlicet Massiliensem, Tholonensem, Caualicensem, Carpentoracensem, Vasconensem, Rauracensem & Tui-castinam. Secunda fuit Viennensis, quæ Dicarchiam Burgundiani regni sub nomine Cancellariatus continebat, vt & Arelate Surgundiani regni Archisolum appellabatur. Metropoles complectebatur Gratianopolim, Valentinam, & Diensem Ecclesias, item Moriennensem & Gebennensem. Tertia diocesis erat Lugdunensis, non quidem Gallia, quæ latius extenditur, verum potius prouincia contractior. Præest autem Hedueni, Maticonensi, Cabilonensi, ac Lingonensi Præsulibus. Quarta Bisuntina sub se habens dioceses Basiliensem, Lausannensem, & Bellaicensem. Quinta in Centronibus Tarrentasia, cui subsunt Cathedrales Ecclesiæ, Sedunensis, & vallis Augustæ Vadouff. Sexta Ebredunensis, in sex Cathedrales Ecclesias determinata, Dignensem, Niciensem, Grassensem, Glandatensem, vulgò Glandens, & Venciensem. Septima Aquensis, in prouincia Romanorum, ad differentiam Aquensis Aquitanicæ, ista enim vocatur arx in prouince. Habet autem sub se has dioceses, Aptensem, Foroiulensem, Gallicè Freius, Regiensem, vulgò *Riez*, Gapensem & Sisterciensem. Nunc autem cernere est in quas nostra ætate deducta sit angustias. facta enim est quæ prius trilinguis erat, videlicet Germanica, Italica, Gallica, monoglotta, idiomatis scilicet Gallici. Hæ siquidem detractæ sunt ab ea regiones Sedunensis, vallis Augustæ, Sabaudia, Pedemontana, & Alfatius Landtgrauatus. Niuernensis insuper, Lugdunensis, & Auenionensis tractus, seu Veneticus Comitatus, Heluetiorumque solum, & natio Delphinatus quoque, atque Arelatum olim regni Burgundiani archisolum: Nunc autem contractior Burgundia bifurcata est, sectaq; in partes geminas, in Montanam Imperialem & Ducalem. Illa montana est, ista verò plana: Illa infœcunda pluribus in locis, ista soli fertilitate nemini cedens: in ea enim certat cum Venere Bacchus, illa môte Iura cingitur Claudio templo illustri: ista verò Saxona quondam ex parte Matriona & Sequana alluitur. Rursum montosa illa Burgundia, præsertim iuxta Alpes S. Claudij strumosa est: Ducalis verò eo vitio caret. Abudat Comitatus vrbs ferocibus, Ducalis verò regio vrsum


rabiam nescit. Atque hæc hætenus in genere de vniuersa Burgundia dicta sufficiant. Superest nunc ea persequi, quæ propria peculiariaque sunt huius Burgundiæ parti, quam præsertim exhibemus charta, ea enim non omnem Burgundiam, verum solummodo Imperialem, seu Comitatusensem, quam vulgò *la Franche Conte* vocauit paulò ante, monuimus, repræsentat. Hæc verò eadem & superior Burgundia appellatur, ac in tres rursus dioceses, seu latera secatur: videlicet Inferius, Superius, & Dolanum. Superius latus vocatur Orientale & Franciæ conterminum, vbi Grijum ciuitas, & mons Peligardus. Inferius autem latus est, quod in Austro-africum vergit, vbi Polychnium, Nozeretum, &c. oppida visuntur. Dolanum latus Septentrioni obtenditur, vbi Dola & Rochafortes vrbes. Nunc loca vrbesque famatissimæ in ea recensendæ sunt, quarum facilè florentissima, ac caput omnium, imò vtriusque Burgundiæ Metropolis est Vefontio, de qua Sabellicus in hunc modum scribit: Erat id oppidum Vefontionis, videlicet Sequanorum maximum, loco ad bellum oportunissimo situm, Aldunio amne ferè circumquaque circumdatus (nunc Dubio illi nomen est) vna duntaxat parte, qua mons arduus surgit, cum munitissima arce pedibus vrbs adeunda, radices montis fluuio penè contiguæ. Tradunt vulgares Burgundiæ gentis annales Vefontij ludos liberalium artium aliquot multæ celebritatis fuisse, in quibus multi & eloquentes & docti viri literas, & omnes liberales disciplinas profitebantur, qui multo post tempore collapsi Barbaricarum gentium deuastatione, Anno iterum 1540. Antonij Perenoti Atrabatenis Episcopi, munificentia Vefontioni sunt restituti. Habet eaciuuitas intra mœnia hortos spaciosos, vineta, viridaria, meditationi etiam ac studijs aptos recessus. Morezetum oppidum loci natura, ædificiorum splendore, & ciuilitate eximium, atque emporium in omni Burgundia celeberrimum, editiori & ærio colli impositum, vmbilicus ferè superioris Burgundiæ, quantum circuitus, tantum habet planicie, reliquum in valles ab omni plaga orbis declinat, oppidum non admodum amplum: sed quod sua angustia quasuis amplissimas Burgundiæ ciuitates exuperat. Nucillum olim à Corilorum nucum prouentu dictum fuit. A Nozeretho versus Ortum ad dextram, qua iter est in Sabaudiam ad Vverum milliare occurrit. Mota instar oppidi pagus Dubij fluminis ortu celebratissimus, hinc recta Rupem Iramis itur. Inde recto itinere atque montis Iura ductu itur Iunias oppidum antiquissimum, in excelso & prærupto colle, ad Sabaudia limites positum, niuibus, syluisque opacis grauatum, quo loco transitus est montis Iura, & vestigal exigitur rerum quæ aliò exportantur. A Nozmeto ex eadem plaga ad sinistram Riparia seu Riua occurrit sic dicta, quod ad ripam lacus magnis lupis atque alijs piscibus refertissimi, sita sit. Inde deuenitur ad egregium oppidum Pontartum. i. pons prope arcem, in ima duorum montium planicie positum, secundum Dubidis fluij littus. Prope Pontartum est arx Iura, munitissima & inexpugnabilis, in colle summo admodum edito in loco collocata, adeoque difficili ascensu, atque perarduo, vt expugnari non posse videatur. Ad sinistram Pontarti est Vserum oppidum, arcem habens cum quatuor vicis, quarum incolæ sunt lepòrum & facietiarum deserti. Hinc recto itinere itur Vercellas, quarum mœnia ruinosæ. Ab his breuis est transitus ad Mortuam ingentem, sed & hanc sine mœnibus vrbes. Hinc recta Hippolytum deuenitur, montibus vndique natura velut arte circumdatus, antiquum oppidum, qui tractus primitus syluosus erat, sed quia metalli ferax esset, syluæ excisæ in caminos, & opera metalli campos aperuerunt arabiles. A Nozeretho ad Meridiem, & Austrum vno milliari est Burgum edito in loco semidurum. Hoc solum oppidum in Burgundia antiquum nomen seruauit. Initio enim editis in locis oppida habere Burgundi, vrbesque per multas excelsis in collibus condidere, quas Germanico idiomate quotunc locuti sunt *Burg* vocauerunt, à quibus etiam Burgundiones fuisse dicti. Ab hoc oppido vno milliari ad sinistram abest Calx, arx celebris, optimè in admodum sublimi monte sita, natura simul & manu munitissima. Huic arci propinquus est Fonsena, pagus immensus & multis villis constans. Ideo sic dictus quod in eo fons Senæ fluminis sit, super quo pagi longitudine 27. rotæ, partim ad molas, partim ad ferras. Hunc sequitur Granuallis, vicis tam frequentibus referta, vt ferè ad singula stadia reperiantur. Verum de hoc tractu Gilbertus Cognatus, ex quo hæc desumpta sunt, sic lusit: *Seruile est hominum genus hoc, seruileq; solum.* Gradarios huius tractus equos omnes probant. Sunt & canes hic ferocissimi. A Granualle trium horarum itinere itur Claudianum, olim S. Eugendi Cœnobium. Reliqua huius plagæ loca, quia momenti parum habent, prætereuntur. Iã quæ à Nazeretho Occidentè versus posita sunt, paucis perstringenda. Ad primū itaq; sesquimilliarium occurrit Verum pagus ad Angelonè flu. cū arce nobilissima, ac viuario vndiq; nemoroso, ac ferarū ibi stabulantium amœno recessu. Ei vicina Montualis arx bellis protrita. Deinceps arces ac oppida multa semieruta: vti Manerū

COMITATUS

MERIDIES

BURGUNDIA

Burgundiones ultimi Germania populi. quorum et lingua olim usi sunt Van- salici nominis fuere; ij Germanorum agros in Capellatio, que hodie Palatini comitis ditio est, violenter occupabant, quos cum Germani assidue repeterent, eos propemodum expulerunt, quare hi assumptis Nuythombus in Maximam- Sequanorum transcenderunt, ac Heduorum etiam fines occuparunt, Nuythombus Auc- ticensem tractum retinentibus.



O RIENS

O CCIDENS

SEPTENTRIO

